


Bibliothèque numérique

medic@

Beaupreau, Claude-Guillaume -
candidat / Le Laumier, Etienne-Pierre -
président. - [De dentium carie]

1760.

*Paris : Typis Knapen, infra
Pontem Sancti Michaëlis, sub
Signo Boni Protectoris
Cote : ms 2342, n°72*



NOBILISSIMO ILLUSTRISSIMOQUE VIRO,

*D. D. ANTONIO
M E G R E T,*

EQUITI, BARONI DE TELIA ET CAPELLANIA,
&c. Regi à Consiliis, Libellorum Supplicum in Domo Regiâ
Magistro, Rei Judicariæ, Politicæ & Ærariæ, in Navarrâ,
Benearniâ, & Ausciorum Provinciâ Præfecto, Benignissimoque
Patrono,

T H E S E S
ANATOMICAS ET CHIRURGICAS,

*Vovet, offert & consecrat obsequentissimus, CLAUDIO-
GUILLAUME BEAUPREAU, Senonensis, Arium
Liberalium in almâ Universitate Parisiensi Magister, &
Chirurgiæ Candidatus.*

0	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
---	---	---	---	---	---	---	---	---	---	----

ОИСТРИ С О
ТУЯ ОДИ

АНАТОМА ГЕЛЛЕРУС
Библиотека Академии наук СССР
Санкт-Петербург
Библиотека Академии наук СССР
Санкт-Петербург

ТНДН Т
252.11.2

АНАТОМА ГЕЛЛЕРУС
Библиотека Академии наук СССР
Санкт-Петербург
Библиотека Академии наук СССР
Санкт-Петербург
Библиотека Академии наук СССР
Санкт-Петербург



D. O. M.
THESES
ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.



LEGANTIOR vultus forma , venustas oris , vocis & loquelæ robur ac leporis , præstantissimo digestionis opere in inchoando momentum validius , in eodem perficiendo levamen admodum potens ; commoda sanè inter vitæ juncundioris fontes non immerito referenda ! hæc porrò singulis , dentium præsertim adhibito munere , veluti totidem beneficia , jugiter impertiri conatur natura , provida mater ; in eadem conservanda , aut , vitiatâ dentium organicâ dispositione , restituenda , sedulò incumbit Chirurgia , naturæ ars amica. Utriusque opera scrutari , ut amœnum , sic utile , aliorum præiudicis , ipsius Dentis consilii claborantem & ordinantem , alteram verò , dentium hostem infensissimum , Cariem quippè , eâdem mente præcaventem , aut debellantem , sequemur.

EX ANATOMIA.

DENTES , ossa minora , firmissima (a) , omnibus facilè cognita , mirabilem offerunt genesim. Sedes ipsis in utrâque maxillâ , superiori scilicet & inferiori , adscripta fuit. Illa tredecim ossibus , quorum duo majora , inferiora & anteriora , dentibus hospitium præbent ; hæc

(a) In sceletis mole majoribus ossa in pulverem facilè convertenda reperiebantur , dentes tamen adhuc firmissimi. Diari. Abbatis Nazari. an. 1669 & 1676.

In sceleto cuiusdam mulieris Supiot nomine , cuius ossa emollita fuerant per vitam , dentes , præ cæteris , ossæ firmitate donabantur. Act. Acad. R. Sc. an. 1753.

A

verò osse duplice in junioribus, & unico in adultis, coalescit. Ita se se habent ossa maxillaria ut, licet figuræ admodum irregularis, tamen sibi invicem coadunata, exhibeant, per partem inferiorem, quamdam fornix speciem processu arcuato circumscriptam. Fornix majorem Palati constituit partem, & ideo Palatina; processus cavitates exiguae, ad invicem appositæ, alveolos quippe continent, & ideo Alveolaris nuncupatur. Maxilla inferior arcus figuram utcumque refert; in orâ ipsius superiore cavitates pariter seu alveoli reperiuntur; unde Alveolaris etiam appellatur. Duæ laminulæ compactæ horumce limborum, vel à primis ossificationis temporibus, à se invicem recedunt, & spatia veluti totidem casulas inter se relinquunt. Unâquamque inter casulam stat paries osseus & perpendicularis. Supra hunc-ce alveolorum ordinem, in maxillâ inferiore, & infra in inferiore, seriem alteram ejusmodi cavitatum faciliter negotio conspicere est. Tertia insuper in quibusdam subjectis observatur. Superiore casulam separat ab inferiore septum osseum, transversè positum. Alveolorum superficiem internam investiunt periosteum & lamina quædam cartilaginea; intra cujus civitatem vesicula membranacea continetur, liquore mucoso, crystallinum humorem consistentiam & colore paulatim æmulante, referta. Liquor ille in substantiam osseam, successe temporis & calore nativo, convertitur; ita tamen ut neque cartilaginea, neque sub alterius cuiuscumque substantiæ formâ, appareat (b); propè septimum graviditatis mensem, superficies ipsius externa magis ac magis albescit & durescit; sicque brevi substantiam exhibit cunctis ossibus firmorem, compositam filamentis tam exiguis & inter se tam accurate junctis, ut superficiem referant politam, à marmore levigato non prorsus absimilem, Encausti nomine insignitam (c); quod quidem encaustum substantiæ osseæ incrementum, per partem marginis maxillæ viciniorem impedit, & per oppositam, quam non complectitur, permittit; unde versus illam partem crescendo, radicem efformat, quæ resistentiam in fundo alveoli majorem reperiens, extrâ pellit partem encausto munimam, quoquæ cartilaginem superappositam & minus resistentem attinet, debeat, gingivam perforat; sed illud fieri non potest quin illa expansio ossea, seu radix, crassitie minuat, ratione compressionis superandæ, quin proinde gracilior evadat.

JAM triplex in unoquoque dente distinguenda venit pars, scilicet exterior, alveolum exsuperans, quæ partim encausticâ, partim osseâ componitur substantiâ, & Corpus, seu Corona; interior, idest alveolo infixæ, quæ substantiâ constat osseâ, periosteо circumcinctâ, continente cavitatem interiore, usque ad coronam penetrantem, periosteо pari-

(b) Dissert. claris. D. de la Sone, nunc augustissimæ Galliarum Reginæ Archiat. A& Acad. R. Sc. an. 1752.

(c) Observ. D. de la Hire filii. A& Acad. R. Sc. an. 1699. Swammerdam, Biblioth. natur. in collectione Academicâ, tom. 5. p. 89.

ter vestitam, & Radix; tandem linea depressa, corpus à radice separans, & Collum dicitur. Ad radicem dentium utriusque maxillæ appellat funiculus vascularis, nervo, arteriâ & venâ conflatus; foramen in extremitate radicis positum subit, & per totum periosteum internum, imò & per substantiam osseam distribuitur; unde sensationis, circulationis, augmenti & nutritionis, dentes facile concipiuntur capaces. Nervus à quinto pari, & parte durâ septimi; arteria à Carotide externâ oritur, vena in jugularem externam degurgitatur; undè statuitur sympathia inter dentes & totum caput, imò inter ipsos & totum corpus, præcipue nervorum operâ (d).

DENTES, licet iisdem efformati substantiis, tamen nec eadem figurâ gaudent, nec eodem tempore prodeunt. Ut plurimum, circa quintum, sextum, septimum, vel octavum à nativitate mensem, duo dentes latitudine majori quam crassitie pollentes, convexi leviter à parte anteriori, & concavi à posteriori, secantes ex limbo radici opposito, Incisores idcirco nuncupati, prodeunt in parte anteriori maxillæ inferioris; paulò mox, horum ce congeneres duo in maxillâ superiori apparent; deinde duo à lateribus incisorum inferiorum exurgunt, & subsequenter duo à lateribus superiorum; undè octo incisores efformantur. Circa mensem undecimum vel duodecimum, duo dentes crassiores, obtusi, formam dentium caninorum emulantes, Canini idcirco vocati, in maxillâ inferiori se extollunt; post alterius mensis intervallum, oriuntur ferè simul duo canini superiores; ubi notandum, caninos quatuor haud raro in lucem non edi, nisi post molares anteriores. Quarto decimo, vel quinto decimo mense, duo dentes crassiores, in obtusum apicem, ut plurimum duplum, desinentes, in maxillâ inferiori; & subinde, totidem in superiori, locum obtinent. Alii duo, tere ejusdem rugae & voluminis, in maxilla inferiore; totidemque in superiore, juxta mensem vigesimum quartum, dantur foras. Novi quatuor, crassitie & volumine majores, apicem quadruplicem sœpè sœpius referentes, ponè alios, anno quinto, aut sexto, se exhibent; duo scilicet in utrâque maxillâ. Sequuntur quatuor alii posteriores, anno undecimo vel duo decimo: tandem quatuor ultimi, aliquando per vigesimum, aut etiam ætatem proiectiorem, munus obeunt; quâ de causâ, Moderatores, vel Sapientiae dentes, vocantur. Viginti quatuor posteriores, modò descripti, Molares audiunt, ex eo quod, figurâ & usu, molam quodammodo emulantur. Dividi solent in octo minores, totidemque majores, nec non quatuor tardiores.

NON prætermittendum, dentes incisores, caninos, molares minores necnon anteriores, unicâ tantum inniti radice; molares verò posteriores dupli, triplici & aliquandò quadruplici; ultimos tandem unicâ dun-

(d) Commentar. Physic. de anatom. Heisteri, art. de motibus sympatheticis.

caxat, sed crassiori. Radices illæ sunt modò rectæ, modò curvæ; hic à se invicem recedunt, illuc ad se approximantur ad apicem (e). Ex quibus differentiis, minorem majoremve difficultatem in extractione, & minora vel majora post extractionem accidentia liquet exurgere.

TRIGINTA - DUOS dentes cavitatem oris circumscribere in adultis, sequitur ex descriptione præmissâ. Idem tamen non existebant omnes in infantibus; viginti enim priores, lactei nomine, decidere incipiunt à septimo anno, per partem oris anteriorem, secundum progressionem adortus; & prout decidunt, aliis ejusdem formæ & figuræ, sed majoribus, supplentur. Sic remanent dentes in ore usquè ad ætatem proiectam, dummodò nullâ labe, nullove accidente infligantur; tandem seriùs ociùsve delabuntur, & quam plurimum successores non habent, propter deficientes œconomiae animalis vires; quæ tamen si adhuc remaneant, jam nova eluescit dentium series, & mirantes exclamant spectatores seniorem repuerascere (f). Triplex ille dentium exitus dicitur Dentitio; quæ in primariam, secundariam, vulgo dividitur. In tertiam insuper dividi potest.

DENTES, per unumquodque ætatis stadium, firmantur in alveolis non solum ope funiculi vascularis, ad radicem appellentis, sed & ope constrictione accuratae ex parte alveolorum, necnon ope filamentorum à gingivis in ipsammet dentis substantiam, propè collum, insertorum. Quâ dispositione, omnis impeditur aëris, & aliorum corporum, in radicem dentium contactus dolorificus.

GINGIVÆ textum offerunt fibrosum, firmum, elasticum, nervis & vasibus, alveolis mediante periosteo adhaerentem, & intervalla dentium, strictioris connexionis causâ, penetrantem.

EX CHIRURGIA.

QUANTACUMQUE in dentibus efformandis, conservandis & renovandis, eluescat Mechanismi sapientia, eamdem nihilominus cum cæteris corporis humani partibus sortem dividunt; intus &

(e) Vid. Varias dentium figuræ, apprimè delineatas, in præclarâ tabul. Osteolog. editione Paris. promulgatâ, an. 1759. Author. M. Sue, Anatomes in Reg. Chirurg. Scholis Professore, &c. part. 2. Tab. V. VI. IX. & præfertim X.

(f) Inter alia hujuscæ phœnomeni exempla, duo extant insignia in Ephemerid. nat. cur. dec. 2. obs. 15. Duo viri seniores novum & duplicem dentium albidissimum ordinem singuli recuperarunt, anno ætatis illorum 118; doloribus capitis, maxillarum, &c. tunc vehementer affecti.

(5)

foras modò latentes, modò detectos coguntur hostes agnoscere (g). Digestiones pravæ, cacoehymia, lues varie, plethora à graviditate, aliave quâcumque causâ oriunda, inflammatio periostei, tum interni, tum externi, suppuratio subsequens; masticatio durorum, alimentorum frigidiorum, calidiorum, falsorum, saccharo conditorum, aut ipsius sacchari (h), acidorum, acriorum, usus frequens & immoderatus; eorumdem inter dentes perseverans præsentia; contactus aëris metallica corpuscula vehentis, aut etiam puri, in ipsammet substantiam osseam encausto spoliatam agentis; & quasi hæc non sufficerent, saepius cariei destructores ipsam producunt. Lima, acida, pulverum usus subsequens & frequentior, incensum, &c. Absque cautelâ adhibita, minuunt encaustum, delent, &, cum reparari nequeat, ipsum os deturpant.

Ex harumce causarum vario actionis gradu, varia nascitur læsionis differentia. Vel enim encaustum partim tollitur, & est erosio; vel omnino, & brevi adeat alteratio in osse; vel alteratio ipsasmet ossis fibras afficit, solutionem illarum continuitatis infert, & tunc adeat erosio in osse, seu Caries; quæquidem, vel superficiem siccum, & est caries sicca; vel humore tenui, fœtido, madidam præse fert, & est caries humida; alterutra, vel usque in cavum radicis penetrat, vel non, & tunc completa, vel incompleta dici potest; extrinsecus conspicitur, vel non, & tunc interna, vel externa habetur.

DIVERSÆ illæ cariei species, vel unum, vel plures lœdere possunt dentes, absqùe aliis accidentibus, aut morbis concomitantibus, & tunc simplex, vel composita reputatur; aut ipsius dentis fracturâ, alveoli carie, exostosi, epulide, parulide, hæmorragiâ, dolore nimio, fluxione, febre, capitib⁹ dolorib⁹, ophtalmia, glandularum ingurgitatione, abscessu, delirio, &c. seorsim aut simul, minori majorive numero vigentibus, stipatur, & est caries complicata.

SINGULAS cariei species per tactum, visum, & præsentiam circumstan-
tiarum modò enumeratarum præsertim agnosces. Quando scilicet ope
digit⁹, specilli, aut oculi, detegitur punctum cavum, asperum, impressio-
nem digitorum, aut specilli, absqùe dolore non patiens; quibus signis addi-

(g) Vid. quatuor disputationes propositas in Argentoratensis Universitate, à Melchiore Sebizio. M. D. & Prot. Comite Palatino Cæsareo, &c. an. 1644.

(h) Saccharum inficere dentes, non solum propriâ virtute, sed etiam propter liquorum & solidorum peculiarem dispositionem, constat ex observatis quæ referruntur in materiâ medicâ, D. Geoffroi. Cap. de Saccharo. Plures nimirum viri ad annum provectionem pervenerunt, & dentibus albidis, admodum sanis, potiti fuerunt; licet frequentiori & majori copiâ Sacchari, per vitæ cursum, usi fuerint, Idem de aliis causis dicendum.

possunt, licet æquivocā, foetor oris, vacillatio dentis, gingivæ ambientis excrecentia, suppuratio, impossibilitas sustinendi absq[ue] dolore corpora calida, frigida, & contactum validiorem corporis duri, aut masticationem solidorum.

S Y M P T O M A T U M & accidentium suprà expositorum ratio desumitur ab ipsâmet cariei naturâ & causis, structurâ dentis, & connexione ipsius cum cæteris partibus.

O M N I S cariei species malum omen præ se fert; eò tamen pejus quò altior est & antiquior, quò madidior, quò plures inficit dentes, quò magis recedit à superficie coronæ, & magis accedit ad partes laterales ac collum, quò frequentior accidentium numero stipatur, & interiorem malignioremve causam agnoscit. Periculösior etiam dentium molarium in utrâque maxillâ caries; cum enim majorem à lateribus exhibeant superficiem, cariei majorem ansam præbent, & factam facilis tegunt; cum insuper plurimis donentur radicibus, substantiae spongiosæ majori copiâ inclusis, caries faciliis afficere potest alveolum. Pessima de carie octo molarium anteriorum maxillæ superioris ferenda prognosis, cum enim sinus maxillaris cavitatem vicini legant, caries parietem inferiorem afficere & corrodere potest, gravioraque subinde producere.

C A R I E M ejusque sequelas vitare qui cupierit, causas sedulò arceat, nec exteriora simul omittat auxilia. Quotidiè dentes vino aut aquâ purâ, à pastu, ablucere; dentalpicio minori sordes dentium intervalla occupantes auferre; linguam, jejunio ventriculo, detergere; identidem medicamenta dentifricia adhibere; crustas aut tartarum dentium scalpro dentali leviter raderet & resoluere; gingivæ dentes quo postea forere cuiret.

S i neglectâ prophylaxi, aut incassum adhibitâ propter vitium prædominans, casumve fracturæ &c. caries reipsâ advenerit; tunc causam artentè considerer Chirurgus, &c, quantum in se est, arcere studeat; cariei indoles deindè agnoscatur. Si siccum sese habeat, superficies ipsius ruginâ, aut limâ, leviter detergenda, cavendo ne deleatur crusta protectrix, quæ actionem corporum exteriorum in substantiam osseam dentis impedit. Si verò humida & dolorifica sit, tunc olea essentialia guayaci, cinnamomi, caryophillorum, &c. gossipio mediante, in cavitatem immittenda; & horum usus usquè ad perfectam crustæ efformationem, dolorisque absentiam repetendus. Cauterium actuale oleis essentialibus præmitti potest, ut crusta citius efformetur; sed usus cauterii omnibus dentibus non competit. In carie molarium majorum, altius penetrante, cauterium non agens in omnes ramos quibus innituntur illi dentes, vividiorem relinquit dolorem ex parte ramorum non cauterisatorum, & proindè debet rejici. Non idem tamen de incisoribus, caninis, & molaribus, qui unicâ dantur radice.

Ut ut sit, casus adest in quo omnibus dentibus cauterium applicari potest; nimirum quandò coronæ dentium usu deteruntur, & dolorem concipiunt ex contactu corporum exteriorum; quam operationem felici cum successu celebravimus.

MEDICAMENTIS, ferro, aut igne, adhibitis; cavum cariei succedens idoneâ impletur materie, ne præsentia aëris, salivæ & alimentorum, recrudescat caries. Folia auri, argenti, plumbique, ad id accommodantur, & ope instrumenti, Plumbi Ductoris nomine, introductas, tam accurate applicantur, ut ne vel minima pars exsuperet dentis superficiem, & ne vel minima remaneat in eâdem cavitatis. Quæquidem agendi methodus, quamvis palliativa dici debeat, tamen aliquandò ita prosperum edit effectum, ut dentem conservet per plurimos annos. Sed non omnibus fors eadem; aliquandò enim dolor urget; tunc plumbum perforare juvat, quia inter ipsum & dentem latere potest humor ichorofus, aut purulentus, cavitatem implens, & per foramen eliminandus. Haud infrequenter pus viam sibi aperit propè extremitatem radicis, fluit per alveolum, gingivam perforat, & facile exsiccatur, cum levamine & fugâ doloris.

URGENTE dolore, ad medicamenta, pro re natâ, recurrentum, qualia sunt guttulae anodynæ, olea essentialia, masticatoria, emplastrum odontalgicum, fumus hyosciamii ope infundibuli denti applicatus, venæ sectio, balnea pedum, vesicantia, lobuli auricularis perforatio, gingivarum sectio, dentis terebratio usque ad nervum, ut destruantur (operatio dolorifica nimium, saepius infausta, & extractioni inferior); quæ si non succedant, ad nervi separationem à dente progredendum. Hæc autem obtinetur, vel per operationem à recentioribus excogitatam, luxationem scilicet, quæ fit dejiciendo radicem ad latus, & competit denti carie leviter affecto; vel per operationem ab ipsomet Aesculapio excogitata & celebratam, dentis scilicet perfectam evulsionem, quæ sicut & antiquior, sic & saepius est summa therapeia. Porro ad utramque illam operationem exequendam, instrumenta duplices generis agnoscuntur, naturalia, quæ sunt digiti, & arte facta, qualia sunt aurea, ferrea, chalybea; & quanta horumce multitudo! Forcipes, denticula, pellicani, impulsoria, rostrum corvi, rizagra, claves, vectis sub formâ lanceæ, tanquam præcipua annumerantur. Priorum species valde multiplicatae sunt. Cæterum electio illorum, à situ, figurâ, volumine, crassitie intrinsecâ, & adhæsione dentis pendet.

Quodcumque adhibetur instrumentum, æger situm idoneum obtinere debet. Tum Chirurgus unâ manu labia removet, maxillam firmat, dum alterâ instrumento armatâ collum dentis corripit, ad latus dejicit, & evellit. Extracto dente, gingiva digitis comprimi debet, ut

paries alveoli, qui sèpè sèpius inter evulsionem frangitur, in statum naturalem reponatur, & gingiva pristinum tonum facilius recuperet. Hæmorragiam subsequentem non subito comprimere est, sed tantum post sanguinis effluxum, ut partes vicinæ degurgitentur, & vitetur inflammatio, &c. Hæmorragiæ non sistente, ad stiptica, compressionem, aut etiam ignem, recurrentum.

NON semper sufficit dentem extrahere; varias complicationes curare, Chirurgo nonnunquam supereft. Singularum cura dissertationem nimis amplam requirit, alibi suscipiendam,

DENS extractus, accuratè expurgatus, & idoneâ materie repletus, si leviter affectus fuerit, reponatur in alveolum; si è contrà carie majori labefactus sit, tunc dens ex ore alieno extractus locum occupet. A repositione tamen molarium majorum abstinentem censemus, quia parietes ossei & spongiosi, casulas illorum radicum separantes, per extractionem ut plurimum disrupti, & fiunt impares suscipiendis, & comprehendis radicibus noviter insitis. Si Dens ex ore alieno extractus & repositus adhæsionem, sicut fit in senibus & scorbuticis, non facile contrahit; tunc dens fabrefactus substitui, & ope filii aurei, aut setæ sericeæ, contineri debet. Quo in casu dentis cuiuscumque radix à corpore separatur nulloque dolore stipatur; tunc radici applicetur corona fabrefacta, & ope cardinis infixa retineatur. Hæc media toties admoveri possunt, quoties deficiunt dentes. Imò, omnibus delapsis, duplēm dentium seriem apponere docet ars sèmpre vigilans,

de Seur

HAS THESES, DEO JUVANTE, & Preside M. STEPHANO-
PETRO LE LAUMIER, Artium & Chirurgiae Magistro, tueri cona-
bitur CLAUDIO-GUILLELMUS BEAUPRÉ, Senonensis, Artium
Liberalium in almâ Universitate Parisiensi Magister, Chirurgiae Candi-
datus; Die Sabbati quinti Julii, à sesqui-secundâ post meridiem ad sep-
timam, anno R. S. H. 1760.

P A R I S I I S,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,
PRO ACTU PUBLICO ET MAGISTERII LAUREA.

Typis KRAOPEN, infra Pontem Sancti Michaelis, sub Signo Boni Protectoris;